

Jacob Hieronymus Lochner Johannes Welsch

Dodecas Quaestionum Philosophicarum

Rostochii: Kilius, 1676

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730608190>

Druck Freier  Zugang



R u phie 1676

Welsch

J. N. J.

DODECAS
 QVÆSTIONUM PHILO-
 SOPHICARUM
 CONSENTIENTIBUS AMPLISSI-
 MIS PHILOSOPHIS

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Excellentiff. & Ampliff.*M. JACOBI HIERONYMI *Lochneri*

Poët, Prof, Publ.

Die *4* Novembr. Anni M DC. LXXVI.

IN AUDITORIO MAJORI
 ad disputandum proposita

â

JOHANNES *Welsch**Aut. & Resp.*

ROSTOCHII,

 Typis Hæred. JOHANNIS KILII, Academ. Typogr.
Mons: 17

1747
DODECAS
QUESTIOMM PHIL
SOPHICARUM
SERVITIENS AMPLISS
SOPHICARUM
M. JACOBI HERKOLYMI
IN ANTIQVIO MAIORI
JOHANNES
ROSTOCKI

Quæst. I. An Præjudicia à Logico non correctæ Philosophiæ
 & Superioribus facultatibus obsint? A.

QVemadmodum Medicina ad vitam animalem conservandam est necessaria, sic quoque aut magis, aut certe non minus ad vitam rationalem gubernandam necessaria est Logica. Quem enim non mecum asserere video, si rem æqua Judicii lance trutinat, Logicam talem esse, quæ mentem humanam ducat vel ad rectam formationem s. *γένεσιν* suarum cogitationum, vel ad convenientem resolutionem seu *ἀνάλυσιν* alienarum cogitationum? Illa sane est, quæ facit ad inquirendam veritatem, ad evellendos errorum fontes, imò ad corrigenda præjudicia, quibus cum primis in rebus cognoscendis mens scætet humana. Siquidem cum adhuc serperastris quasi inclusi sumus, ab eo ferè tempore animus noster plurimis præjudicatis opinionibus est imbutus: vix enim alias institui cogitationes, quam quæ ad solùm corpus sunt referendæ, & solo sensu cognoscuntur, ita quidem, ut quæ corpori dolorem & incommodum inferunt, illa absolute mala opinemur; Sic virgam, quæ infantes interdum castigantur, ut rem pessimam fugiunt, neque bonitatem ullam exinde agnoscunt; à quacunque autem re voluptatem & saviorem titillationem in membris corporeis percipimus, eam rem natura sua bonam esse judicamus, firmiterque nobis habemus commendatam. Ita infans quoque erepundiis maxime capi deprehenditur, quæ nobilissimum oculorum sensum delectabili sua pulchritudine ita afficiunt, ut præstantius objectum animo in ista ætate occurrere videatur nullum. Cæterum intuentes crassa & tactus sensum quam maxime afficientia, ea verè corpora; subtiliora & sensum tactus fugientia, aut nihil, aut inane sive vacuum appellamus; quæ lucidiora sunt, ad divinam naturam non nihil accedentia arbitra-

bitramur. At verò hæc imperfectiones infantia in reliqua etiam ætate nostra, cum ad superiores facultates animum applicamus, gignunt in nobis præjudicia seu iudicia quæ ante exactum examen rationum à nobis fiunt, cum primis si à Logico illa ipsa ex mentibus nostris non evellantur, utpote cujus officium est, mentem nostram ita componere, ut nunquam iudicet, nisi de re clarè & distinctè percepta. Atq; inter hæc præjudicia merito refertur, quâdo nonnulli philosophi asserunt: Quicquid est alicubi esse: Nihil esse in intellectu, nisi prius fuerit in sensu: Corpora cœlestia esse incorruptibilia; Plus esse materiae in lapidibus, quam in aëre: Venenum non habuisse serpentes in paradiso: Dari vacuū: Bruta melius uti ratione, quam homines: Solem esse bipedalem: Non dari antipodes: & quæ ejusdem farinae infinita alia dantur, qualia partim à nobis ipsis & sensibus nostris, quibus in juventute nimium tribuimus, & tamē in adultiori ætate rectissimè nos iudicasse putamus; partim ab aliis, nēpe nutricibus, Præceptoribus &c. obveniunt, imprimis si illud Aristotelis nimium inculcetur: quod discuntē credere oporteat. Porro nec in sanctissima disciplinarum Theologia hæc deinceps præjudicia desunt, cum enim rationem sibi quis imponere patitur, ut ea etiam, quæ solo revelationis lumine cognosci debeant, illo metiri ausit modulo, tantum verò absit, ut hæc illorum veritatem demonstrare possit, quæ certitudinem ab autoritate asserentis DEI nanciscuntur, ut potius propter dicta præjudicia ne in aliis quidem humano aliàs ingenio perviis aliquid veri producere queat; indemerito arbitramur, infantiles istas & præconceptas opiniones idololatriæ gentium causas esse, quæ Solem, cœlestia corpora, ignes, ventos, bruta animantia. v. g. boves, canes, pisces, hircum ob genitale membrum, (quod de Ægypt. refert Diod. Sic. L. I.) dracones, columbas &c. divino honore sunt prosecuti: item illius opinionis, quæ Angelis, imò ipsi DEO corpora assignant, qui notissimus Anthropomorphita-

phitarum sive Audaxanorum error est, quæq; alia sunt numero innumera. Præjudicia verò, quæ in arte medica occurrunt, ut referamus non est necesse, cum, quæ in Physicis admittantur, etiã in Medicinã redundant, quod vel ex iis, quæ de influxu cœlestiũ in sublunaria nonnulli docēt, pl9 satis apparet. Stat itaq; sententia firmo talo, quod infantia Præjudicia seu præjudicatae opiniones Philosophiæ & superioribus facultatibus obsint.

Q. 2. An in accurata philosophandi ratione abstractiones sint necessariae? N.

Vir Clarissimus Dn. Gottofredus Gvilhelmus Leibnüzius Phil. & J. U. D. in Dissert. prælim. ad Marii Nizol. Libb. IV. de veris principiis & verã philosophandi ratione, inter accuratè philosophandum concretis tantum utendum esse monet, neque ullum terminorũ abstractorũ in philosophandi rigoroso genere usum magnopere à se observatum, abusus verò multos. & magnos & valdè perniciosos deprehensos esse fatetur: huic si subscribere velimus, quid respondendum sit facile apparet. Non autem sumus ii, qui omnem abstractionem ex agro philosophico velimus aut etiam possimus exterminare, cum & jucunditas exercendi ingenii, & utilitas, abstracta in tempore adhibita commendet, si scilicet in exotericis sive Dialecticis Disputationibus cogitationes nostras & attentionem ad certa quædam figere velimus: Ast enim verò cum in accurata philosophandi ratione animo sciendi cupido versatur, an tum quoq; iis cum primis abstractionibus, quæ Petreitatis, Corporeitatis, inaleitatis, aliorumq; sic satis durorum verborũ sono efferuntur, ad accuratam rei veritatem inqvirendã uti sit necesse: hic vero negativæ, salva secus sentientium autoritate, subscribere nobis liceat. Ea enim cura tum inter philosophandum nos manet, ut res rite demonstrẽ, definiamus atq; dividamus: abstractiones vero cum nobis non res ipsas, sed rerũ modos ostẽdant, optatum per eas finem adipisci nos nunquam posse arbitramur.

Q. 3. *An Dubitatio sit via ad veritatem? A.*

Vetus verbum est, sed verum; qui incipit dubitare, incipit discere. Qvis enim hominum tantæ eruditionis, tantiq; ingenii acuminis est, ut nulla iudicii suspensione nullog; prævio rationum in utramq; partem examine in vero enodando indiguerit? Ipsa verò Dubitatio cum nihil sit aliud, quam iudicii quædam suspensio, quæ fit, rationes in utramq; partem examinando, ita ut nihil interea temporis vel affirmemus vel negemus, hanc si in genuina veritatis inquisitione præmiserimus, munus certe sobriè philosophaturi subiisse videmur, tum, quia intellectum præjudiciorum nebulis ut plurimum suffuscatum levis atq; brevis dubitationis beneficio magis magisq; ab omni errorum tegumento denudare satagimus, tum maxime etiam, quia finem nostrum, veritatem scilicet, in rebus latentem, eruere a laboramus. Atq; hanc ipsam veritatem inquirendi viam Christus, qui omnis indubiæ veritatis fons atq; origo de jure salatur, nobis in suis promonstravit disputationibus, quod Chrysostomus in cap. 4. Joh. Homil. 31. testatur, "cum ait: Christus utiq; non palam omnia revelat, sed prius in dubitationem conjicit auditorem, ut incipiens quærere de sensu dicti, inde dubitans ac inquirendo laborans cum majore promptitudine excipiat id, quod apparebat, quæsitum, & magis excitetur ad auscultandum. Verba auro contra chariora æstimanda! quæ si philosophiæ sacris initiandus sibi commendata habuerit, & eandem viam in veritate inquirendâ calcaverit, minimò minus à verò abire est æstimandus. Uti enim ab imperfectioribus ad perfectiora progreditur ratio, sic & discens prius dubitat tandemq; ad veritatem assurgit: quod dudum etiam Aristoteli ita visum est, prout non modo ex verbis ejus 1. Metaph. c. 2. constat, quando ait: Propter admirationem & nunc & primò cœperunt homines philosophari, ubi post paulo dubitare & admirari conjungit: sed & ex ejus consilio, quo Topica

pica Analyticis præmittenda esse svalor est, facile colligere licet: quod ipsum non minus verè quam scire Piccartus expressit in Organo p. 408. Sicut, inqviens, corpus squalidissimo carcere inclusum, subitoq; eductum, solis nequit perferre radios, sed primò in opacum, paulatim in lucidiorem producitur locum: ita mens in ergastulo corporis densissimis veluti tenebris detēta, non subito ad analytici corporis jubar adduci debet; sed dialecticis velitationibus prius exerceri & discere dubitare. Enim verò dubitatio illa suis quoq; limitibus meritò coercenda est, ne circa res fidei, aut vitæ actiones, aut ea, quæ clare jam & distinctè à philosophis sunt cognita, error aliquis admittatur, quod, si quisquam, Cartesius certe efficere summo allaboravit opere. Nec enim ad veterum Scepticorum morem illa dubitandi via ineunda est. Ecce non risum moveat illa Pyrrhonis dubitandi ratio, qui teste Diogene Laërtio, nihil declinabat; currus si forte occurrissent, & prærupta, & canes, & quæcunq; talia, nihil omninò sensibus permittebat, eò quidem, usq; ut à sequentibus amicis avertendorum periculorum cura adhibenda fuerit. Alia mens veritatem serio inqviienti sedet. Dubitat ille, sed non ut dubitet; verum ut post serium rationū examen non amplius præjudicare; sed judicare queat, quod est dissipatis errorum tenebris jubar veritatis intueri, & veluti ex silicium collisione ignem, ita ex ponderatis ab utraq; parte rationibus, quod verum sit, elicere.

Q. 4. *An dentur spatia imaginaria extra hunc mundum? N.*

Quod quæstionem hanc attinet, negativa placet, siquidem nos spatia imaginaria hodiè merito destructa esse scimus: ut ut enim sint, quibus eadem etiamnum adstruere, & ex iis varias insuper quæstiones, parum tamen utiles, eruere placet, quales citat, & refert Dn. D. Job. Faustius Argentorat. Prof. celeberrimus in *Discuss. Extramund. Præf. DEI in sp. imag. v. g. Patris à S. Joseph.*

Joseph. Francisci B. Spei, Vasquezii, Suarezii, Conimbrie. Fonseca, aliorumq; scilicet, an spatia imaginaria sint entia realia? an purum putum nihil? an imaginarie imaginaria? an Deus possibiliter sit in spatiis possibilibus extra mundum? &c. Nichilo tamē minus re illa penitus inspecta majus robur eorū argumentis inesse arbitramur, qvi pro negativa pugnant sententia. Nempe cum mundus corporum universitas existat, spatium vero à corpore realiter non differat, qvō modo extra mundum spatia talia, qvæ sint imaginaria, fingere qvis possit: hactenus qvidem nondum apparet. Deinde si talia spatia dicantur & sint imaginaria: cur reales affectiones & realia attributa iis adscribuntur? num extensio, distantia & diversæ partes etiam nichilo competunt? annon reale dicendum erit illud, cui realia conveniunt attributa, & cujus conceptum ingrediuntur? Rectius sane menti nostræ consultum videretur, si dicamus, mundum ratione extensionis suæ esse indefinitum. Infinitum enim ut dicamus, divini Numinis consideratio prohibet, cui hoc Nomen soli asservandum est: nec ipsa mens nostra, qvæ finita est, atq; adeo infiniti incapax, citra impiæ temeritatis notam hæc asserere posset. Neq; vero finitum qvoq; mundum citra præjudicium dicere possumus, cum fines & limites ejusdē nemo hactenus demonstraverit; ubicunq; enim fines illos fingamus, certum est, semper ultra eosdem plura spatia indefinitè extensa à nobis concipi, qvæ substantiam corpoream adeoq; indefinitam continent. Restat igitur ut cum à parte rei mundus nec finitus nec infinitus sit dicendus, à parte mentis nostræ, prout concipitur, nempe indefinitus, appelletur. Atq; hoc ipso ad infinitam DEI potentiam & bonitatem attendentes, non modo prout fas decensq; est, magnificè satis de eadem sentiemus & loquemur: sed & minus superbè de nobis ipsis sentire videbimur, secus atq; illi, qvi limites nulla cognitos ratione mundo affingunt, tanquam vis illorum cogitationum ultra id, qvōd

id, quod à DEO revera factum est, ferri possit. Quin & supra dictarum quæstionum minus necessariorum ventilationes cessabunt, & aliarum plurium, quæ ad nauseam usque inter Ptolomaicos seu Tychonicos & Copernicanos aliosque de mundi centro, de mundorum pluralitate simultanea, de divisione mundi in cælum & terram &c. hactenus agitatae fuerunt.

Q. 5. *An mens humana sit immortalis? A.*

Jam olim S. Augustinus plurimum eò allaboravit, ut hujus sententiæ veritatem adstrueret, contra eos præcipuè, qui dicebant, animam nisi esset corporea, fore cassam, futilem, inanemque substantiam; aut qui putabant nihil verum ac reale esse, nisi quod sub sensus & imaginationem caderet: prout ex lib. 4. de Orig. Anima constat. Et sanè animam esse immortalè ex ipso revelationis gratioso lumine tam est manifestum, ut de eo dubitare nefas sit: quomodo tamen hæc ipsa immortalitas ex rationis lumine probari possit, jam ulterius dispiciemus, & missis nunc illis rationibus, quas apud Scaliger. Exerc. 307. n. 20. legere licet, alias quasdam producemus. Ubi tamè ea præmittere est animus, quæ ad animæ & immortalitatis notionem clarius cognoscendam pertinere videntur. Namque ad animæ naturam rite declarandam existimamus eam viam esse procedendum, ut quæcumque in nobis talia esse experimur, ut corporibus planè inanimatis quoque comperant, ea soli etiam corpori tribuamus: è contra quæcumque nobis ita insunt, ut nullo modo concipiamus corpori alicui posse convenire, ea animæ nostræ adscribamus, & ad ejus naturam pertinere arbitremur: quòd ipsò non difficili negotio demonstratur, quicquid est extensum, divisibile, mensurabile, figurabile &c. id ad corporis pertinere naturam, & quicquid intelligit, vult, affirmat, negat, judicat &c. id animæ meritò competere, atque adeo cum hæc omnia varios cogitandi modos constituent, in ipsa cogitatione mentis naturam consistere. Porro cum vitæ notio ad tria præcipuè ca-

pita revocari possit, ut alia vita sit simplicis existentiae, alia, existentiae actuosa, alia, coexistentiae cum aliò, ad triplicem mortis, quin & mortalitatis atq; immortalitatis significationem nobis erit attendendum, ut pro triplici illo significato totidem rationes à nobis afferantur. Jam quod vitam in primo significato adhibitam attinet, vivere sumitur pro existere, & mori, quod opponitur, significat non amplius esse; seu vitae simplicis existentiae opponitur mors simplicis annihilationis: illae autem res, quae destrui possunt, sunt vel compositae vel simplices; compositae amittunt suam existentiam, quando partes, ex quibus constant, separantur; simplices verò nisi per annihilationem esse non desinunt, cumque annihilatione aequa; atque creatio vires naturae excedat, à creaturâ illae destrui non possunt. Cum igitur mens talis res simplex sit, eam esse immortalem facile constat. Neque verò inficias imus, mentem nostram à DEO in nihilum redigi posse: verum cum non tantum revelatio de mentis immortalitate ambigere vetet: sed & experientia animam mori nunquam probet, merito ab ipsa DEI constantia & immutabilitate argumento nostro robur accipimus, dicentes, à summè constanti illo numine animam nostram ita paratam, ut in suo existentiae Statu aeternum perseveret. Deinde vita sumitur pro existentia actuosa, quando scilicet hominem vivere dicimus, cum agit. Haec vita vel corporea vel spiritualis esseprehenditur: Illa vero solo motu explicari potest, & opposita mors, quiete; haec autem ex iis quae praemisimus in cogitatione ponenda est: unde, cum ex dictis constet, mentem nostram non tantum vivere vitam existentiae actuosae; sed & simplicis existentiae, ita ut nihil naturaliter queat efficere, quo minus esse pergeret, pro immortalitate denuo concludere possumus. Denique vita sumitur pro coexistentia, seu pro duratione rei cum aliâ re, vel cum aliquo accidente, subjectum perfectius reddente, prout vitam hominis dicimus constituere

uni-

unionem corporis cum animâ, vel cum permanſio animæ cum calore vita dicitur: mors vero tali vitæ oppoſita nihil aliud quam ſeparatio, diſſolutio, diviſio unius ab alio nuncupanda erit. Cum itaq; iterum ex iis, quæ præmiſimus, ſole clarius pateſcat, diviſibile eſſe non niſi ad corporis pertinere naturam: in mente nullas partes extra partes poſitas unquam deprehendemus, unde iterum ab indiviſibilitate pro immortalitate mentis humanæ concludimus, & hæc veluti gemmulâ hanc quæſtionem obſignamus.

Q. 6. *An Scriptura S. etiam in rebus Phyiſicis nonnunquam ſeundum opinionem & captum hominum loquatur ſeu Φαινομένων & ἡ δόξαν non ἡ ὁρα?*

Omnem omninò frontem hominis Chriſtiani exuiſſe merito dicendi ſunt iſti, qui ore impio Scripturam S. sæpe de rebus Phyiſicis falſa proponere, hancq; ipſam ob cauſam in dubium vocandam eſſe, pronunciare nulli ſibi religioni ducunt, eandemq; naſum cereum hoc modo reddere volunt: cum certum & indubitatum potius ſit habendum, imò aureis literis cuius inſcribendum illud *Carteſii P. I. Princ. Phil. art. ult. Memoria noſtra pro ſumma regula eſt inſigendum, ea, quæ nobis à DEO revelata ſunt, ut omnium certiffima, eſſe credenda; & quamvis fortè lumen rationis quam maximè clarum & evidens, aliud quid nobis ſuggerere videretur, ſolè tamen autoritati divina potius, quam proprio noſtro iudicio fidem eſſe adhibendam.* Neq; vero huic aſſertioni quicquam per affirmativam quæſtionis propoſitæ derogari cenſendum eſt: cum enim Spiritui S. in S. S. literis hominem peccatorem ad conſequendam ſalutem erudire ſit præcipuè propoſitum, quæritur, an non, prout alibi, ita & loquens de rebus naturalibus ſeu phyiſicis (quarum accurata & philoſophica veritas humano & vulgari captui interdum minus eſt perſpicua) interdum utatur formulis veritatem communem, & sæpe ad hominum ſenſus relatam, continentibus? quod ipſum dum affirmatur, ſalvâ illâ Literarum S. S. autoritate, & ipſa rei veritas pronunciatur,

B 2

& viro-

& virorum maximè orthodoxorum testimonio subscribitur. Ecquis enim negaverit, cum Scriptura S. DEO, Angelis & animabus humanis corpora, manus, pedes, linguam, nasum, digitos &c. attribuit, illam ipsam quam maximè ad intelligentiam & captum hominum se accommodare? ut longè plurima ab aliis integris libris adducta, jam prætereamus, [quæ tamen omnia nostra nequaquam facimus. Et ne testium numero destitui videamur, audiamus nonnullos, quorum agmen ducat *Magnificus Dn. D. VARENIUS, Theologus summus, Præceptor noster æternum de venerandus*, qui in collegio in Job. MS. Dec. 1. Tit. 2. de Verit. Hist. Job. (ubi mentio fit ex Luc. c. XVI. Historiæ divitis & Lazari) dicit; *verissima historia tractationem parabolicam dum estas lingua, vox oris, digitus intinctus, & stilla refrigerii, de anima separata predicatur, quæ tamen in hanc nequaquam convenire, nec prout reminiscendi vis, de illa predicari, in confesso est*) l. e. contineri propter nostram intelligentiam. Eandem esse mentem *Plur. Rev. Dn. D. NIEMANNI ex Disp. Theol. de eod. argumento Thes. XXV.* colligere licet, ubi hæc leguntur verba: *Christum quidem h. l. historiam narrasse, ita tamen ut in describendo statu epulonis & Lazari post mortem se accommodaverit ad captum hominum, eumque ad modum presentis vite delineaverit, dum animabus à corpore separatis membra tribuit, quæ tamen ipsis competere non possunt, tantum, ut eò melius actiones & passiones animarum separatarum intelligere, nobisque imaginari possimus.* B. GLASSIUS in Rhet. Sacra p. 62. *Rei denominatio fit quandoque ab externo adjuncto opinionis hominum, alii ita: In Sacris literis res sæpe nominatur & describitur uti est Φαινομένως καὶ κατὰ δόξαν, non κατὰ εἶδος, κατὰ ἀλήθειαν, seu qualis hominibus videtur esse, non qualis est, in sua natura.* B. FINKIUS in Cent. Can. Theol. can. 4. *In Scriptura S. sæpe res describitur, ut est Φαινομένως & κατὰ δόξαν, non κατὰ εἶδος.* B. MENZERUS in Repet. Chemnit. Disp. II. De DEO uno & trino Thes. 21. p. 12. *Dicuntur autem multa attributa, non in ipso DEO & ejus respectu (quia est simplicissime unus &*

unum)

unum) sed propter distincta effecta in creaturis, & propter captum
humanum, ad quem se in Scripturis loquens accommodat Spiritus S.
Qvin & ipse B. LUTHERUS in der Haub Postill Dom. post Na-
t. vit. Christ. Solches sol man mercken/auf das niemand sich dran
stosse/das Lucas hie / und die Schrift an andern Orthen / zuweilen
so von einem Ding pfleget zu reden/wie die gemeine Weise unter den
Leuten zu reden ist.

Q. 7. *An fuga seu metus Vacui pro salvandis na-
turae phaenomenis satisfaciat? N.*

Cum multa sint naturæ phaenomena, quæ insignem usum
explicatione genuinarum causarum Philosophiæ præbent, nos
quoque eorum numero accensemus & illos naturæ effectus, sci-
licet quod, extracto ex Siphonibus aëre, cerevisia & vinum, ut ut
sint corpora gravia, per dolium adscendant: Similiter quoque;
quod anthliis pneumaticis aëre evacuatis, cum vas recipiens
aquæ superimponitur, hæc alias gravis itidem in vas dictum
subito adscendat: quod siphone recto in dolium immisso, de-
inceps vero superiori ejusdem orificio digito obturato, aqua
extracto siphone in libero aëre quasi pendula hæreat, & quæ
ejusmodi alia e. g. in clepsydriis, fonte Heronis, poculis vino-
mis, qualia nuper hujus Disp. PRÆSES Excellentissimus in
Coll. phys. experimentali, uti & sequentia quædam, oculis fideliter
commisit, occurrunt. Verum in indagandis horum effectuum
causis, si cum Peripatericis longe plurimis & omnibus ferè Scho-
lasticis Philosophis consilium ineamus, nullam aliam horum
experimentorum causam, quam metum sive fugam vacui au-
diemus. Hanc vero causam bonâ illorum cum pace tanquam
veram admittere non possumus, cum ea rebus merè corporeis
tribui nequeant, quæ sunt mentis, quod utique fit, cum vino,
cerevisiæ, aliisque corporibus tam provide fuga & metus adscri-
bitur. Deinde hæc causa nequaquam ad omnes effectus qua-
drat, adeoque sufficiens esse nequit. Quod si enim tubus Torri-
cellianus argento vivo repletus alteri vasculo argento vivo ex

parte itidem repleto imponitur, unde fit, quo minus argentum vivum æq; pendulum hæreat, atq; aqua in recto siphone pendula supra fuit descripta: sed descendat ad certam usq; dimensionem, & hoc quidem loco fermè ad 29. usq; digitos, reliquo tamen tubo ab omni aëre vacuo existente? Porrò si longior tubus vitreus 36. præter propter pedum aut plurium erigitur, & aqua repletus in superiori orificio ita clauditur, ut nihil aëris accedere possit, deinde alii aquæ quoad inferius orificium imponitur, illiusq; epistominum hæcenus clausum jam aperitur, unde fit, ut aqua ad altitudinem 31. sive 32. pedum descendat, reliquis tubi partibus superioribus ab aëre vacuis existentibus? Quin si canales per montem ita incurventur, ut inflexi siphonis speciem præsentent, facilè quidè fieri potest, ut piscinâ circa montis radices ab uno latere existente, aqua ejusdè super montis summitatem ad radices usq; in altero latere deferri queat, si montis altitudo perpendiculariter 31. seu 32. pedes non exceßerit, altius verò si mons se extendat, effectus ille cur frustra expectatur? Inde manifeste sequitur cū illa vacui fuga seu vacui metus tandem cesset, rationem illam utpote minus sufficientè missam esse faciendam: & dicta phænomena partim per corporum circulationem non impeditam, partim per aëris pressionem, aliasq; causas magis ad æqvatas, quas brevitatis ergo præterimus, esse salvanda.

Q. 8. *An Luna sit Paradisus terrestris? N.*

Varias variorum Autorum sententias de Paradiso terrestris adducere non est instituti nostri, cum vel sola recensio limites Disputationis excedere juberet, aliis in hanc, aliis in alias sententias abeuntibus. Non tamen incommode ad tres classes referri possent, ut alii Paradisum terrestrum in Cælum, alii in Terram, alii in medium quendam locum posuisse sint dicendi. Horum, quos ultimo posuimus loco, numero addendus videtur Hieronymus Vitalis, Capuanus Clericus Regularis vulgo Theatinus, qui in *Lexico Mathematico* Parisiis Anno 1668. edito novâ,
singu-

singularem, & hactenus inauditam, (prout ipse fatetur) at non per hoc temerariam atq; intolerabilem protulit sententiam, quam tamen disputandi gratia se proponere testatur, ne quicquam novi hactenus inauditum è suo capite affirmare videatur. Nempe sub titulo Paradisi terrestris n. 9. p. 356. Paradisum in ipsam superficiem Luna collocat, quippe quam beatarum mentium sedem Veteres, non omnino extra aleam, alteram terram Plato, Pythagoreiq; omnes apud Tullium Stobeumq; dixerint, quamq; habitabilem, arboribus constam, vitæq; hominum opportunam, nedum ex veteribus, sed neotericis multi variis observationibus edocti probabiliter adstruant; atq; hanc ipsam Lunam, utpote Paradisum terrestrum, & olim primos Parentes nostros incoluisse, & nunc p. 354. sanctissimos illos Heroes Henoch & Eliam (& ut aliqui volunt etiam S. Johannem Evangelistam) ibi asservari ait, quoad usq; finis mundi advenerit, quando ex DEI ordinatione inde huc remeare debeant, & finem suum predicatione sint & martyrio completuri &c. In hac vero sententia cum l. c. sint adhuc longè plurima alia, quæ veritati vim inferant, nunc tamen eas tantum rationes, quæ nostræ quæstionis negativam confirmant, adduxisse operæ videtur pretium. Possent nonnullis hinc satisfacere Rationes Pererii, quas iis opposuit, qui, non in ipsa quidem Luna, sed vel in loco Lunæ proximò, vel in tertia aëris regione Paradisum situm esse putarunt: existimat enim Pererius hanc sententiam non tantum non credibilem, sed & ridiculam esse, atq; adeo salubritatem & commoditatem habitationis refutari (1.) Per solis & aliorum siderum vicinitatem. (2.) Per rapidissimam cœli volubilitatem. (3.) Per mirandam distantiam inter terram & orbem Lunæ spaciositatem. (4.) Per indubiam Paradisi visibilitatem: cum vero quædam rationes ex his iis innitantur hypothésibus; quas falsas pronunciare posset Vitalis, sequentes insuper addemus: 1. Cum ipse Vitalis p. 356. locum Lunæ in liquidissimo statu at there, ubi substantia nostro æthere multò purior deprehendatur,

datur, facile apparet, ab hominibus nostra natura gaudentibus, ob tenuitatem aëris, adeoq; defectum illius medii, quo ad respirandum utimur, Lunam habitari vix credibile, vix probabile esse; siquidem quælibet creatura naturali ordine in loco naturalitantum permaneat, quod in piscibus, aviculis, imo ipsis hominibus in cacumine altiorum montium degentibus experimur, qui nisi spongia liqore repleta adjuti, vix ac ne vix quidem ullum vitæ spiraculum trahere possint, uti docuit *Pl. Rev. Dn. Lic. GRAPPIUS, Dn. Fautor & Præceptor colendissimus, in Præl. Phys. publ.* Quod verò Vitalis p. 354. existimat: posse tandem homines assvescere, fieriq; aër ille tenuissimus & ab incubulis habitantibus opportunus, atq; connaturalis, eò planè modo, quo Lusitanis primo ad Indios orientales appulsis aër ille longè diversus evadebat incongruus; ita ut ob climatis novitatem mox extinguerentur: ac postmodum eò destinatis adolescentulis, qui paulatim aere assvescerent, factus tandem fuerit cõnaturalis, & proprio: id partim de subtilissimo æthere effari non possumus, partim cum illa salubritate Paradisi, quam Vitalis hinc inde commendat, conciliari neqvit. 2. Cum Paradisus locus deliciarum amœnissimus, florentissimus, fructibus omnibus abundantissimus Vitali describatur, huic maximè obstant ad spectus solis ad generationes fructuum illorum necessarii, qui in Lunâ multo aliter atq; in terrâ nostra se habent: etenim dum quoad illuminationem solis diurnam in globo Terrarum singulis 24. horarum periodis noctis atq; diei vicissitudinem experimur, ea verò in Luna menstruo demum spatio absolvatur, adeoq; per nostros dies & noctes 15. ferè Sol radiis fervidissimis continuò alterû Lunæ hemispheriû stringat, plantas, herbas & fructus facile corruptum iri colligimus. 3. Obstat huic salubritati, quod, si vel maxime hypothesi isti Lunam esse alteram terram subscribamus, pluvias ibidem dari dubium omnino videatur: cum enim Sole, corpore Lunari multò sub-

tò subtiliori, beneficio telescopii exortæ maculæ deprehenduntur, quæ non modò sinum Mediterraneum, teste Galileo Galilei in Syst. Cosm. p. m. 63. sed totam Africam ipsamq; Asiam longissimè superent, sanè si in Luna licet minori, multo tamen nobis viciniore, aliqua ex parte congregarentur, utiq; nonnullæ ex perpetuis maculis tandem aliquando absconderentur, quod tamen experientiæ Lunam uniformem conspicienti adversatur. 4. Sententia Vitalis falsâ nititur hypothese, cum per Sphæram ignis elementaris, hodie extinctam, romphæa flamma & versatilis explicatur. 5. Hæc ipsa sententia sic satis temerè à Literâ recedere jubet, dum clarissima Scripturæ verba de quatuor fluminibus figuratè explicat.

Q. 9. An brutis jus naturale competat? N.

Non immeritò negativæ subscribimus sententiæ: siquidem quando ab Ulpiano jus naturale definitur, quod sit id, quod natura omnia animalia docuit, omnes illi qui Ulpianum sequuntur illo laborare videntur præjudicio (cujus mentionem fecimus in quæst. 1.) nempe quod brutorum actiones cum nostris similes existiment, cum tamen male à sensatione propriè sic dicta, sive prævia cognitione, aut ipsâ ratione profectæ esse dicantur. Cum enim præter materiam & corpoream substantiam in brutis nihil concipere possimus, omnes illorum operationes non nisi à varia materiæ dispositione, varia partium subtilissime elaboratarum unione deducendas esse arbitramur, ut adeo ad animam sive formam quandam, materiæ contradistinctam, transire fortassis non sit necesse. Hæc igitur cum ita sese habeant, si brutis tamen jus naturæ competat, cur non æq; commode plantis & omnibus adeo corporibus naturalibus jus illud sit attribuendum non video? Enim verò uti nec brutis, ita etiam nec plantis aliisque corporibus hoc jus naturale competere dicimus, quia omnis in illis ratio abest. Neq; enim brutum dum defendit vitam, agnoscit se defendere vitam; nec dum curam

C

gerit

gerit ejus à quo procreatum est agnoscit se curam talem gerere. Pari ratione plantis quoque; & aliis ita agentibus cognitio deest, ut ab illarum quoque; conservatione, multiplicatione, augmentatione &c. jus aliquod inferri nequaquam possit. Ceterum quod debet esse juris, id utique; debet agnoscere, & cognoscere, quid sit juris, quidque; obligare possit, quid non; quæ cognitio cum in brutum non cadat nec jus naturæ illis tribuendum esse affirmari potest.

Q. 10. *An malefici apud Japanenses, Canarienses, Ægyptios &c. manus violentas ex mandato sibi inferentes sint ἀνομιμαίτες? N.*

Intricatissima hæc est controversia, ut nisi pluribus circumstantiis probe ponderatis vix cui sententiæ sit subscribendum videre sit. Cum apud Japanenses à Magnatibus præcipue peccatum est, ita quidem, ut vitæ jactura sit facienda, reis his imponitur velut honestissimum supplicium, ut ventris sectionem propriis administrant manibus. Canarienses capitis poenâ afficiendis in mandatis dant, ut de montium cacuminibus sese præcipites tradant. Nec infreqvens hoc supplicii genus, quo suis se manibus occidere coactus est maleficus, Ægyptiis pariter & Arabibus existit. Quin & à veteribus Romanis id observatum est, prout Socratē judicum decreto cicutam hausisse constat: Cum primis verò sub Tiberio, Nerone, aliisque; humani generis opprobriis usu non infreqventer receptum erat, ut Tribunus aut Centurio ad supplicio destinatos mitteretur, qui extremam necessitatem denunciaret. Si quis pareret & mortem occuparet, manebant testamenta, justa funeris, pretium festinandi: Sin autem; ecce carcer, carnifex, laqueus, Gemoniæ, fiscus: nec rarò obsequii non præstiti ultio ad horrenda tormenta & post mortem in bona & agnatos se extendebat. De talibus igitur mortis candidatis certissimis, ex judicis sententiâ ad supplicium manibus propriis administrandum damnatis, & secus si fiat, longè crudelissimis non tantum cruciatibus paratis: sed & sæpenumero in agnatos & infamiam & mortem derivantibus cum
quæstio

quæstio instituitur, tum verò Negativam nostram facimus, & ab ἀνθρώπιος nota immunes esse existimamus. Quando enim; ista nota inurenda videtur, spontaneam actionē esse præviam necesse est, qualem istam occisionem esse negamus: licet enim eo tempore, quo exercetur, agens videatur habere liberum arbitrium, ipsaq; organa & motus earum in suâ sint potestate, ut ea propter actio spontanea dici forte possit, attamen cum ipsum actum intuitu conjunctorum inevitabili necessitate cruciatuum durissimorum aliorumq; malorum exercet, omninò hæc invita rectissimè dicenda est, adeòq; meritò tandē inter mixtas referenda erit, & quidem ad illam mixtarum classem, quæ commiserationem, non vero vituperium aut ἀνθρώπιος nomen merentur: nisi fortassis ἀνθρώπιος non Ethicam, sed Physicam appellare velimus: quâ in sententia *Vir Plur. Rev. Dn. Breverus Rigenſium Pastor celeberrimo, Præceptor noster devote colendo in MSS. de quatuor Monarch. facem fideliter præmōstravit.*

Q. II. *An ſubditorum obedientia ad inhoneſta ſit extendenda? N.*

Omnium auribus meritò insonat decantatiſſimum illud axioma: Potius DEO quàm hominibus obediendum eſt; quæ sanè verba primò intuitu ſubditorum obedientiam, quæ in rebus inhoneſtis Magiſtratu ſit præſtanda, radicitus tollunt, ſiquidem DEUS omne inhoneſtum averſatur & odit. Et licet obedientia ſubditorum debeat eſſe ſimplex & abſoluta, non tamen illa ſimplex obedientia latius eſt extendenda, quàm uſq; ad aras, & quouſq; honeſtatis limites permittunt. Immò quī obedientia ad inhoneſta præſtanda trahi poſſit, quæ in noſtra tamē potestate non exiſtunt? Quis unquam ſubditorum, in primâ imperii conſtitutione id pactus fuiſſe dicendus erit? quod tamen ipſum fieri necesse fuiſſet: ſi & obligare deberet. Neque verò præſumi inſuper poteſt, quod jus imperii irritum reddatur, ſi fortè ſubditorum nemo mandatum ejuſmodi inhoneſtum

Rum audiat, neq; procuret: constat enim, quod jus imperii
necessariò subordinetur juri naturali, à quo tamen inhonesta
perpetuò absunt, & propterea à particulari quoq; jure aliquò
abesse debent: Unde & hic acquiescimus, & quod subditorum
obedientia ad inhonesta sit extendenda uti in fronte sic in cal-
ce hujus quæstionis constanter negamus.

Q. 12. *An antepenultima Syllabæ in Ecclesia, Myste-
rium, Psalterium corripienda? N.*

Equidem si autoritatibus esset hic certandum, ex Sedulio,
Arato, Fortunato & Drepanio vel viginti & septem versiculi
adduci possent, in quibus omnibus antepenultima syllaba in
voce *Ecclesia* correpta reperitur: conf. Georg. Fabritii Index &
Notæ ad Poët. Christian. Secundam in *Mysterium* Corippus
Lib. II. v. 116. corripuit.

- - - - - omne projecto
Mysterium certâ rerum ratione probatur.

Conf. quoq; Lib. IV. v. 274. Ingens *Mysterium* &c. Aratus verò in Præf. 2.
antepenultimam in voce *Psalterium* brevem adhibuit:

Psalterium Lyrici composuere pedes.

Sed consuetudine magis, quam veritate usurpata esse existimamus, ad eòque
vocales Græcorum longas & breves omninò discernendas esse, hisce verò
autoritatibus subscribi non posse concludimus.

TE sudasse dies, noctes vigilasse, laboris
Assidui testes, memata docta, probant.
Mellilega nempe instar apìs perdocta pererrans
Scripta Sophùm studiis, quæ legis apta, legis.
Multaq; cum placeat paucis comprehendere chartis,
Conatus magnos parva tabella docet.
Sit felix igitur, quem Tu jam jamq; Favori
Ac hominum studiis das, Peramande, labor!
Magna, reor, capies ex hoc Tibi dona labore,
Cum Tibi pars quondam magna salutis erit.

Ita ominatur

de egregiis Præximii Dn. RESPONENTIS
conatibus mens Amica PRÆSIDIS,

quæstio instituitur, tum verò Neg
 ab *av* *ex* *epias* nota immunes esse e
 cunq; ista nota inurenda videtur,
 viam necesse est, qvalem istam occ
 enim eo tempore, qvo exercetur
 rum arbitrium, ipsaq; organa & n
 state, ut ea propter actio spontane
 cum ipsum actum intuitu conjun
 te cruciatuum durissimorum ali
 omninò hæc invita rectissimè dice
 inter mixtas referenda erit, & qv
 sem, qvæ commiserationem, non
epias nomen merentur: nisi fortassi
 Physicam appellare velimus: qvâ
Brevius Rigensum Pastor celeberrim
lensy in MSS. de quatuor Monarch. f

Q. II. *An subditorum obedi*
extendenda

Omnium auribus meritò insona
 oma: Potius DEO qvàm hominibu
 verba primò intuitu subditorum
 inhonestis Magistratui sit præstan
 dem DEUS omne inhonestum av
 dientia subditorum debeat esse sim
 illa simplex obedientia latius est
 aras, & qvovsq; honestatis limites
 dientia ad inhonesta præstanda tra
 potestate non existunt? Qvis un
 imperii constitutione id pactus fu
 men ipsum fieri necesse fuisset: si
 verò præsumi insuper potest, qvoo
 tur, si forrè subditorum nemo m

tram facimus, &
 Quando enim
 actionē esse præ
 negamus: licet
 tur habere libe
 in suâ sint pote
 possit, attamen
 itabili necessita
 lorum exercet,
 q; meritò tandē
 mixtarum clas
 rium aut *av* *ex*
 non Ethicam, sed
Vir Plur. Rev. Dn,
noster devote co
er præmōstravit.
honestia sit

simum illud axi
 m est; qvæ sanè
 n, qvæ in rebus
 is tollunt, si qvi
 it. Et licet obe
 luta, non tamen
 qvàm usqve ad
 . Immò qvî obe
 æ in nostra tamē
 orum, in primâ
 s erit? qvod ta
 deberet. Neqve
 irritum redda
 usmodi inhone
 stum

